



Kern 3490 C 1-16)

547



DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
 SISTENS
ANIMADVERSIONES
 C I R C A
 MERCURIUM SOLUBILEM
 HAHNEMANNI,
 MERCURIUM CORROSIVUM SUBLIMATUM
 ATQUE
 UNGUENTUM NEAPOLITANUM.

QUAM CONSENSU
 GRATIOSI ORDINIS MEDICI
 IN ALMA FRIDERICIANA,
 PRAESIDE
IO. CHRISTIANO REIL

MED. ET CHIR. DOCT. THERAP. PROFESSOR;
 PUBL. ORD. DIRECT. INSTIT. CLINICI,
 CIVITATIS HALENSIS PHYSICO,

PRO
 GRADU DOCTORIS MEDICINAE
 RITE OBTINENDO
 DIE XXXI. MARTII, MDCCXCIV.
 PUBLICE DEFENDET
IOSEPHUS BEVERN,
 HALENSIS.

HALAE,
 TYPIS FRANCKIANIS.



EXAMINATIO PUBLICA

IN MEDICINA

PHYSICAE

ET MATHEMATICAE

IN UNIVERSITATE

WILHELMINA

IN ANNO

MDCCCXXXIII

GRADU DOCTORIS

IN MEDICINA

JOSEPHUS

HAASE

PHYSICAE



ILLUSTRISSIMO
SPECTATISSIMO, GENEROSISSIMO
DOMINO
THOMAE PHILIPPO
LIBERO BARONI
DE HAGEN,

DYNASTAE IN HOHENHAUSEN, WASSERSUPPE,
WITZKE, SENLIN, MUELENBURG, RHINOW,
PRIETZEN, KIETZ, GUELPE, SPAATZ,
SROHDAENE ET SCHOENHOLTZ.

POTENTISSIMI BORUSSORUM REGIS CONSISTORII
SUPREMI ECCLESIASTICI PRAESIDI, COLLEGII
MEDICI SUPREMI, NEC NON COLLEGII MEDICO-
CHIRURGICI SUMMO PRAESIDI, ET OMNIUM RE-
RUM MEDICARUM ARBITRO, COLLEGII SUPREMI
QUOD RES ACADEMIARUM SCHOLARUMQVE DIRI-
GIT, PRAESDI, STATUUM ET ORDINUM PROVIN-
CIALIUM MARCHIAE ELECTORALIS PLENIPOTEN-
TIARIO, ET DIRECTORI CIVITATUM ELECTORALI-
MARCHICARUM AERARII PRAEFECTO, COLEGII
QUOD PAUPERES MISEROSQUE CURAT, DIRECTORI
SCHOLAE REALIS QUAE BEROLINI FLORET, CU-
RATORI, ORDINIS EQUESTRIIS, ST. IOANNIS ET
HIEROSOLYMITANI EQUITI, ECCLESIAE CATHE-
DRALIS BRANDENBURGENSIS CANONICO.
ETC. ETC.

MAECENATI SUO INDULGENTISSIMO
HASCE STUDII ACADEMICI PRIMITIAS
IN REVERENTIAE ET PIETATIS
QUALECUNQUE DOCUMENTUM.

NEC NON
VIRO ERUDITIONE
ET
PROBITATE EXIMIE CONSPICUO
EXPERIENTISSIMO DOCTISSIMO
DOMINO
D. JO. FRIDER. FRITZE
POTENTISSIMI REGIS BORUSSORUM
A CONSILIIIS INTIMIS,
THERAPIAE PROFESSORI
ET COLLEGII MEDICO - CHIRURGICI
MEMBRO, NEC NON INSTITUTI
CLINICI BEROLINENSIS
DIRECTORI.

PATRONO ET PRAECEPTORI
SUMME REVERENDO
HOC STUDII ACADEMICI SPECIMEN
IN PUBLICAM GRATI
ANIMI TESSERAM

D. D.

AUCTOR.



DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
SISTENS
ANIMADVERSIONES CIRC-A
MERCVRIVM SOLVBILEM HAHNEMANNI, MER-
CVRIVM CORROSIVUM, ATQUE UNGUENTUM
NEAPOLITANUM.

§. I.

Ad luem veneream curandam methodis medendi, imprimisque mercurium exhibendi, mirifice multis medicos usos fuisse constat. Recte autem monere posse mihi videor, methodo medendi, quae quidem per se spectata vel etiam habito respectu ad res, quae ut plurimum circumstare solent, optima iure dici posset, minime tamen ubivis locum esse. Quae enim dicto respectu optima habenda est methodus, propter restamen, quae circumstant, passim adhiberi non potest. Hinc mihi eorum iudicia placeant, qui varias methodos suis laudibus celebrare et quomodo siue hac siue illa methodo utendum sit, rite exponere student. Equidem non nego, multis, quae huius loci sunt, medendi methodis, olim vel nunc etiam passim in auxilium vocatis, nullum

plane amplius concedendum esse locum; nihilominus vero alias easque non paucas superesse videbis, suis, quibus decet, laudibus celebrandas.

Iam si ex tot methodis tres eligendae mihi essent, vnam mihi sumerem, quae malo celeriter occurrit, atque in casu urgente limites certe ponit saepius necessarios, quaeque mercurii corrosivi sublimati, vel etiam, si hunc mihi denegares, mercurii nitrosi vsu abfolvitur; alteram, quam prae ceteris efficacem, tutam et vulgo itaque adhibendam esse putarem, quaeque calcis mercurialis, hinc verbi gratia mercurii solubilis Hahnemanni similisve vsum postulat; tertiam denique, qua vel solo habito respectu ad vitia ventriculi et faucium passim obvia medicos carere non posse intelligo, quaeque frictionibus nititur mercurialibus, non tamen solito more cum unguento neapolitano, sed potius cum Unguento e calce mercuriali parato instituentis.

His certe methodis carere non possumus in artis exercitio. Siquidem vero hisce accedat iustus balneorum, opii, et aliorum quorundam vegetabilium vsus internus, et, quod remedia externa spectat, paucorum quorundam medicaminum applicatio, saturnina volo, lapidem causticum et aquam calcis vivae, haec fere sufficere videntur ad curationem morborum, qui simplices sunt venerei.

Quae cum ita sint, paucas quasdam animadversiones proponere liceat, quae dictas tres methodos spectant. Neque vero has alius esse quam levioris momenti, quaeque medicis doctis bene cognitae sunt, ingenue fatendum esse existimo, ne, qui tali cognitione exornatum se esse intelligit, detineri se patiatur levioribus hisce animadversionibus, a tirone atque vrgente praeterea itineris necessitate conscriptis.

§. 2.

Quid sit, quod medicos invitaverit ad explorandam mercurii vim antiveneream, dubium non esse videtur. Primam occasionem sine dubio praebuit similitudo, quam luem veneream, circa annum 1493 conspicuam aliisque remediis pertinaciter resistentem, et affectus leprosos intercedere existimabant. Id quod ansam certe praebuit unguentum adhibendi mercuriale, contra affectus leprosos diu iamiam adhibitum et nunc ideo in novo sed simili, vti visum est, malotentandum.*) Votis respondit eventus. Dies diem docuit, iamque multa millia exemplorum vim huius remedii antiveneream docuerunt.

§. 3.

Quid vero illud sit, cui eximia haec vis mercurii, specificam dicunt, tribuenda sit: de eo certare adhuc videmus medicos et doctos et ingeniosos.

*) *Gravers*, Almanach für Aerzte u. Nichtärzte, Ien. 1794, pag. 249.

Ex his pauca attingere placet, vt certe intelligat benevolus Lector quae mihi prae ceteris arriferit hypothesi.

§. 4.

Mercurium vivum vires, quae huius sunt loci, non exferere satis constat. Docent, vt alia mittam, observationes, in malo iliaco passim institutae. Hydrargyrum enim vivum et deglutitum, non imminuto pondere, per alvum mox iterum deponitur.

Quin etiam solutio mercurii extus applicata miasma venereum non destruit, neque alio modo in vsum vocatur, quam quo alia, quae irritant atque detergent, remedia.

Itaque et solutione mercurii et certa quadam penetratione in corpus humanum opus est, vt officia praestet, quae huius sunt loci.

§. 5.

Qua vero demum ratione haec praestet, an immutando miasma venereum, an excernendo, et si hoc, vel illud, vel neutrum contingat, quae aliae sint, quae intercedant vel circumstent vel sequantur fluidorum vel solidorum mutationes: de his omnibus varii varia ratione iudicant.

Multis olim visum est, mercurium humores resolvere atque per ptyalismum materiem peccantem excernere salvis ceteris humoribus. Hinc misera ista

methodus salivatoria, quae quidem quot malis ansam praebuerit, taediosum nunc esset fusius enarrare. Paucis granis mercurii curationem saepius absolvi videmus citra omnem salivationem; quaeque olim per multos menses effusa fuit saliva, miseros tamen aegros haud raro in miserrimum coniecit valetudinis statum.

Neque tamen ideo ab altera parte concludere inde licet, huic excretioni nihil omnino quid tribuendum, siue ab eadem omnino abstinendum esse. Ut unum dicam, modica quaedam salivatio alias corporis easque propiori modo salutare mutationes passim instar mutationis non evitandae comitatur. —

Excretiones largae, quibus omnem sanationem absolvi putant simplici miasmatis remotione, neque praegressa alia, eaque necessaria virium vitalium mutatione, plane non amplius audiendae sunt in omni hac disputatione. Attentionem vero merentur, quae de excretionibus minus sensibilibus, atque de his tanquam de auxiliis fociis vel pedisequis, iisque et ad miasma et ad mercurium non nisi passim respicientibus, atque de praevis corporis, imprimisque nervorum mutationibus necessariis varia monent, utique eruditorum examine digna. —

§. 6.

Alii fidem habuerunt sudoribus. Id quod ad usum multorum remediorum vegetabilium invitasse

vitasse videtur. Est vero in propatulo, citra omnem huius generis sensibilem excretionem syphilitidem sanari, eamque olim saepissime intactam remanuisse, quamvis violenta quavis ratione sudores promoverint.

Tenendum est ab altera parte, malo venereo superando nullam excretionem magis favere, quam transpirationem insensibilem, atque similia reliqua valere, quae paullo antea tetigi circa salivationem (§. 5.)

§. 7.

Sed omnium maxime errarunt, qui diarrhaeis sanare vel sublevare posse putabant aegritudinem veneream. Plures tamen medici alio scopo multis remediis laxantibus usi sunt, uti verbi gratia ad arcendam salivationem. Sed obsoleta et refutata haec sunt et similia nostris temporibus. Opii contra usus ad sistendas diarrhoeas mercuriales egregius satis nunc inter omnes constat.

§. 8.

Alii ipsum miasma venereum a conjunctione et insequente actione mercurii mutari existimant. Quae quidem mutatio a similitudine, quae in salibus alcalinis vel acidis observatur, siquidem in sal mutentur neutrius generis, dicta est neutralisatio; ceterum vero a variis varia ratione explicatur.

Non repetam, quae saepius ventilata sunt, argumenta, quaeque huic hypothefi siue favere siue repugnare videntur. Sed duo momenta hac data occasione attingere placet. Primum, quod medicos videam huic hypothefi repugnare, qui tamen pro iis, quae ipsi aliis locis exponunt, huic hypothefi addicti sunt, quamvis id ipsi non videantur animadvertere. Vt nempe theoria, quam ipsi exponunt, quodammodo cohaereat, huius generis mutationem miasmatis venerei, ab actione mercurii enatam defendere eos utique oportet, quamvis ipsi huic momento repugnent. Praebet exemplum quod hac re exposuit HECKER. Is quidem potissimum favet theoriae, quam non solum NISBET sed etiam ANDRE olim iam proposuerant, ideoque ipsius miasmatis mutationi repugnat. Alio vero loco (pag. nempe 116 in Eiusd. libello v. d. vener. Krankheiten) in systemate lymphatico miasma venereum destrui putat a remedio mercuriali huc delato. „Und, inquit, denkt man sie sich nun so (die Wirkungsart) wie ich sie oben angegeben habe, so darf das Queckfilber das venerische Gift nur in den lymphatischen Gefäßen antreffen um es sogleich zu überwinden.“ Iam, quaeso, quid hoc aliud est, quam ipsius miasmatis mutationi fidem habere? Ab aliis itaque hoc respectu eatenus tantummodo recedit, quod his verbis locum itidem nobis designat, quo istam metamorphosin contingere putat. Sed vereor, ne his quid definiat exactius, quod quidem non definire consultius esset. Ceterum circa ea, quae praecedere de-

bent, quaeque irritationem spectant, aliis assentitur, uti clarissimo ANDRE, NISBET, ceteris.

Alterum momentum, quod heic attingere liceat, argumenta spectat, quibus dictam hypothesin comprobare studuerunt recentiores. His certe mercurii actionem, quae huius est loci, nondum probatam vel rite definitam esse, existimo. Ut enim mittam, quod vel in omnibus huius generis explicationibus desiderare posse mihi videor (hoc volo, quod hanc illamve actionis partem probantes, reliquos mercurii effectus eosque non minus notabiles, neque remotos vel a probatis profluentes, omnino excludendos esse putant): illud quoque, quod huius est loci, ipsius nempe miasmatis mutatio his strenue evinci non videtur.

Ita v. g. cl. ALTHOF *) ad illud momentum provocat, quod saepius paucis mercurii granis gravissima symptomata cedere, pauca eaque leviora resistere videamus. Quod quidem quo iure huc possit referri, ego certe non video. Idem enim momentum, quamvis dictam hypothesin neque comprobet neque refellat, eadem tamen plus repugnat, quam favet. Siquidem enim hac opus esset mutatione miasmatis, maiorem mercurii quantitatem expectares, ubi maior adesse solet miasmatis copia.

*) Practische Bemerkungen über einige Arzneimittel. Goett. I. B. p. 34. sqq.

Non plus valet textoris exemplum per ptyalismum fanati *). Quid enim est, quod non alia ratione aequae certe modum explicare tibi posses, quo refutata sit huius hominis sanitas?

Quid vero sit, quod, quae fanata videbatur lues venerea, passim recurrat, id quidem vereor, ne ex alia quadam hypothese aequae facile queat explicari, quam ex ista miasmatis mutatione, quam ipsa remedii mercurialis admixtione perfici putant.

§. 9.

Nervos ab usu mercurii ita mutari, ut miasmatis venerei stimulum non sentiant ideoque hac ratione (ut mala venerea inde eveniant) aegrotare definant: Hunteri habetur explicatio. Habetur, inquam. In universonim difficile mihi esse videtur, huius viri placita ex eiusdem scriptis ita deducere, ut mercurii universonim agendi modum, qualis huic Auctori placuerit, accurate intelligas. Sed praeter scribendi genus hoc forte itidem in culpa est, quod non nisi partem huius actionis accuratius tetigerit, reliquos autem eosque notabiles effectus siue aliis accuratius definiendos reliquerit, siue non dignos habuerit, quorum seorsim fiat mentio. Hoc certum est: nihil omnino quid se tribuisse excretionibus; atque ab usu mercurii irritationem alius generis deduxisse,

*) Ibid, pag. 45. relatum.

quae miasmatis irritationi ita aduerfa fit, ut cum eadem cōexistere nequeat. — Sed plura accuratius definienda esse, ut vera inde emergat huius rei explicatio, vix est, quod adjiciam. Partes enim vivas mercurio mutari, huiusque generis mutationes prae ceteris omnibus audiendas esse in hac explicatione, nemo facile dubitabit. Sed aeque facile intelligitur, alias hic superesse quaestiones, quibus quidem nisi satisfecerit tua responsio, mercurii agendi modum explicatum habere non poteris. Ita verbi gratia intactam relinquit hic auctor quaestionem: quomodo sentiat de conditione miasmatis venerei post restitutam sanitatem? Huic autem quaestioni eo magis satisfacere debuisset, cum omni, quae salutaris esse posset, miasmatis remotioni (excretioni) repugnauerit.

§. 10.

Ad removendam hanc, quam proxime laudavi, difficultatem ingeniose respexit cl. REIL*). Is enim non solum nervorum eorumque irritationis a mercurio enatae (qua nempe miasmatis venerei stimulus innocuus redditur) fecit mentionem, sed etiam ab ipso miasmate vulgares ac praeconceptas ideas de acri, et nescio, qua venenata conditione removeve studuit.

§. 11.

*) Memorab. clinic p. 193, Vol. II. fasc. I.

§. 11.

Posita hac similive hypothefi multa facilius explicari possunt quae in decursu et curatione luis venereae observantur. Hinc verbi gratia derivandi sunt morbi recidivi. Mercurio enim tunc adhibendo non suffecit tempus, ut delere penitus potuerit specificum veneni stimulum, sive etiam nimis praepostere tumultum inconsoetum produxit, cui non cessit stimulus veneris.

§. 12.

Ex his colligendum est, quid sit, quod pauca mercurii grana, maxima interdum symptomata venerea extinguere possint, cum tamen leviora, majori quantitati hujus remedii saepius resistant. In hac enim hypothefi irritabilitas et sensibilitas primum tenet locum. Iam verbi gratia corpus nimis irritabile, quod minima mercurii dosi impetuose afficitur, irritamenta exinbe spatietur, corpus debilitantia, morbo tamen nihilo minus ingravescente. Quo major tum erit mercurii copia, eo majus hoc erit irritamentum morbo levando neutiquam idoneum. Systema autem nervorum hebetius sentiens majorem quoque mercurii copiam desiderabit, ut inde specificus iste producat stimulus, ad irritationem veneream penitus eruendam necessarius.

§. 13.

Quum porro omne corpus humanum ignota, individuo propria, et singulari quadam sensibilitate, idio-

synocrasiam dicunt, praeditum esse queat: ratio quoque patet, cur mercuriale quoddam praeparatum quandoque praebat auxilium, aliis efficacioribus jam frustra adhibitis.

§. 14.

Exinde praeterea cognoscitur, cur mercurii usus, etsi diutissime protrahatur, ad luem profligandam quandoque non valeat. Id nempe in iis praecipue contingit, qui tanta irritabilitate multati potius quam dotati sunt, ut sufficiens mercurii quantitas in corpus introduci, et specificum illud atque salutare irritamentum excitari nequeat, quin statim compareant diarrhoeae symptomata aliaque.

§. 15.

Ex his denique perspicies, opium, egregium illud in hoc morborum genere remedium, alio modo vires suas exserere non posse, nisi sedando stimulum alienum, hinc mercurio occasionem suppeditando, quo melius luem veneream extinguere possit.

§. 16.

Quibus praemissis transgrediar ad finem mihi propositum Nimirum.

- I. pauca exponam circa efficaciam mercurii calcinati, imprimisque mercurii solubilis Hahnemanni. (Omnes enim calces pertractans, nimium aberrarem a proposito tramite, finesque dissertationis inaugura-

lis transirem. Praeterea mercurius solubilis Hahnemanni omnium fere usitatissima est calcium quae et omnes reliquas minus necessarias reddit).

II. circa effectus salium mercurialium, imprimisque sublimati corrosivi.

III. nonnulla (itidem pauca) adjiciam circa unguentum mercuriale.

SECTIO I.

DE CALCIBUS MERCURIALIBUS, ET SPECIATIM DE MERCURIO SOLUBILI HAHNEMANNI.

§. 17.

Hujus remedii praeparatio.

Ut medicamentum recte exhibeas, apta eiusdem praeparatio maxime est necessaria. Parationem itaque mercurii solubilis Hahnemanni ad mentem celeberrimi GREN enarrabo. Primas enim, quas ipse auctor huius remedii, el. Hahnemannus, communicavit parandi methodos, vario respectu vitiosas fuisse constat.

§. 18.

Mercurii depurati partibus tribus affunditur aquae fortis ab acido salis purae, modice saturatae, ac purae pars una. In vase sic dicto medicinali mercurio affunditur aqua fortis, atque haec solutio siue in loco subfrigido siue in aquam frigidam deponitur. Solutio

itidem succedit in loco frigido et cum acido nitri non nimis concentrato. Evitandus autem est calor exterius, ne quid nimis, ut ajunt, dephlogificetur mercurius acido nitri. Hancee mixturam subinde conquater decet manibus. Praeterlapsis horis viginti quatuor liquor, mercurio non soluto, qui fundum petiit, relicto, effunditur, quique forte in frigore crystallificationem subiit mercurius nitrosus, aqua destillata solvitur, ut effuso liquori admisceatur haecce solutio mercurii nitrosi. Mercurio non soluto iterum affundi potest acidum nitri recens ut plures parentur solutiones mercurii nitrosae vel futuro usui servetur. Solutio mercurii in acido nitri iam diluitur aqua destillata (huius v. g. partibus decem) atque colatur per chartam bibulam. Tum infillatur quantitas spiritus salis ammoniaci caustici solutioni colatae (unde praecipitatum exoritur ex atro cinereum) quanta opus est ad acidi saturationem, atque praecipitatum filtro separatum aqua destillata omnino edulcoratur, exsiccat, in pulverem quam subtilissimum teritur, et ad usum futurum conservatur.

§. 19.

Calces mercuriales potissimum adhibendae sunt.

Calces mercuriales in corporis humani men-
struis penitus sunt solubiles. Omnes specificas mer-
curii vires retinent et quidem sine ullo effectu nocivo,
qui haud raro observatur in salibus mercurialibus,

aliisve mercurii calcibus impuris. Calces igitur purae stimulum specificum antivenerum exferere possunt, neque tamen excitant ullos impetus alienos.

§. 20.

De mercurio solubili Hahnemanni in specie.

Sub auspiciis praeceptoris maxime reverendi cl. FRITZE, instituti clinici berolinensis data occasione, hujus calcis effectus saepissime vidi. Iam quidem inventoris laudibus non omnino assentiri possum. Neque enim ubivis locum habet, neque aliis mercurii praeparatis in quovis casu anteponenda est. Plurimum autem, quin certo respectu omnibus calcibus praefereendam hanc esse concedo. Aliis enim calcibus mercurialibus ideo anteponenda est haec, quod certi sumus, mercurium regulinum se non continere eiusque ideo efficaciam magis esse definitam. Ceterum eadem laudes in hanc cadunt, quae in alias calces mercuriales imperfectas. Effectus exoptatos citius producit, quam multa alia remedia, et contra ptyalismum ac diarrhoeas rarius. Opiatis tamen itidem saepius opus est, ut huius generis effectibus obvenias.

Aliquot certe casus in laudem huius remedii interponere liceat.

Puella 9 annos agens, a parentibus inquinata, faucium laborabat ulceribus; praeterea sana. Ipsa erat in instituto clinico ab 11 Aug. usque ad 4 Sept.

In initio ipsi quadrans grani mercurii solubilis Hahnemanni propinabatur: cum vero mercurium aegra haud graviter ferret, a die 24 Augusti dosis duplex in usum vocata. Ulcera aqua phagadaenica detergebantur. Aegra itaque 7-8 grana mercurii sumsit; ptyalismo aut aliis malis symptomatibus libera mansit hisque est restituta. Femina quaedam 30 annos nata, fluore albo venereo ante annos $2\frac{1}{2}$ laboraverat: non multo post luei venereae indicia sese manifestabant in faucibus, ubi ulcera in conspectum prodibant. Quo malo in nosocomio charitatis liberata, inde ab 18 mensibus non est affecta ullo dolore, nisi quaedam sensibilitate narium, e quibus humor tenuis stillabat, qui sensim adeo auctus est ut ozaena venerea subsequeretur. Faucium ulcera denuo comparebant.

Intra octo hebdomades granis viginti quatuor mercurii solubilis Hahnemanni, aucta dosi sumtis, et injectione aquae phagadaenicae, haec aegra restituta est. Medela tamen minus prospere quam in primo casu nobis successit; tribus enim vicibus propter menses accedentes, incipientem diarrhoeam, et ptyalismum usus mercurii seponendus erat. Ad haec autem symptomata sublevanda sola abstinencia ab hoc remedio suffecit.

Alii haud pauci casus, insignem mercurii solubilis effectum demonstrantes, in annalibus instituti clinici Berolinensis reperiuntur *).

*) Annalen des klinischen Instituts zu Berlin, herausgegeben von I. FR. FRITZE, I und II Heft,

§. 21.

Methodus propinandi mercurium solubilem Hahnemanni.

Hoc remedium sequenti modo suppeditatur:

R. Mercurii solubilis Hahnemanni gr. iv.

Radicis liquiritiae

Magnesiae falis amari ana ℥ij

M: exactissime f. pulv. dividatur in XVI. partes aequales.

Mane et vesperi una dosis horum pulverum aegro propinatur, et, si inde nullum stimuli praeternaturalis symptomata conspicitur, quotidie mane et vesperi, donec symptomata infectionis evanuerint, augmentur doses ad 3-6. Praeter haec aegri decoctum sumunt e radicibus graminis et taraxaci paratum.

§. 22.

Cautelae practicae.

Si aeger ceterum sanus est, nec ullum symptomata acidiae in primis viis acrimoniae vel cruditatum adest, mercurius statim adhibendus est; alioquin apta remedia sunt praemittenda. Ad plebem sanandam rudi victu fruentem, necesse est, ut semel aut bis alvus laxetur; quum enim ejusmodi alimenta plerumque abundant acido falis, calx mercurialis cum hoc facile jungens, corrosivam potest assumere qualitatem, et in stomacho aequae ac tractu intestinorum praeterna-

turalem producere stimulum, quo specificum irritamentum antivenereum mercurii supprimitur. Hinc aeger 4 - 5 horis ante et post medicaminis usum a solidis cibis abstineat, nec non durante morbo victum digestu facilem capiat, atque sub coelo fereno modice ambulet. Tempore curationis transpirationi prospiciendum est; hac enim suppressa, et humore illo excrementio, perspirabili nempe cutaneo, ad intestina delato, facile suboritur diarrhoea et praeternaturalis ventriculi et tractus intestinorum irritatio, unde stimulus iste antivenereus mercurii impeditur. Eandem ob causam saepius e re est, vespertino tempore ante decubitum unum propinare opii granum.

§. 23.

Simulac febris autem sic dicta mercurialis accedit, cujus indicia sunt totius corporis molestia, sapor in ore metallicus, capitis dolor, horrores, torpor in ore metallicus, capitis dolor, horrores, torpor quidam artuum, anxietas pectoris, pulsus irritatus atque familia: usus mercurii statim est omittendus. Iam duo existunt casus: sive enim mercurius totum stimulum antivenereum jam exercuit, ita ut nunc alio modo irritationem producat; symptomata venerea evanuerunt, ideoque mercurius merito non amplius adhibendus est; sive occasionalis et alienus est stimulus, qui nimis cito graviora irritationis symptomata produci. Id quod facile perspicitur e symptomatibus venereis permanentibus. Quo igitur in casu mercurii

usus intermittendus est, donec apta remedia nocivum illum stimulum removerint, et medela antivenerica de-
nuo incipi possit.

§. 24.

Quando rejiciendus fit mercurius
solubilis.

Non est probandus hujus medicamenti usus, si primis viis nimia inest irritabilitas neque minus caute agendum est, ubi constitutio subest haemorrhoidalis. Item, si praesentia symptomata non unice a causis venereis sed et ab alienis dependent. Quibus in casibus stimulos alienos facile efficit mercurius, vi propria specifica non succedente. Exstant exempla in animalibus supra citatis. *)

§. 25.

E dictis nunc facile patet, mercurium solubilem non semper esse indicatum. Experientia quoque docet, in quibusdam malis cutaneis venereis, ossiumque doloribus nocturnis, huncce mercurium saepius nil efficere **); immo in variis casibus, ubi medicus ingenio acutissimo praeditus, differentiam vix animadvertit, haud raro diversae praeparationes mercuriales requiruntur, ut morbus ad felicem eventum

*) 2tes Heft p. 115 und 118.

***) 1es Heft p. 108.

perducatur. Atque idcirco duo adhuc remedia, nempe mercurius sublimatus corrosivus et unguentum mercuriale pertractanda mihi esse videntur.

SECTIO II.

DE SALIBUS MERCURIALIBUS ET DE MERCURIO SUBLIMATO CORROSIVO IN SPECIE.

§. 26

Mercurii sublimati praeparatio*).

Partes aequales mercurii oleique vitrioli miscantur in retorta vitrea, eaque omnia destillentur, donec massa sicca remaneat cui addatur decrepitatum sal commune (superet ejusdem quantitas mercurii adhibiti quantitatem uti $1\frac{1}{4}$); tunc omnia agitentur et mixtum deinde sublimationi exponatur. Eo modo purus mercurius sublimatus corrosivus obtinetur, et in cucurbita Sal mirabile Glauberi restat.

§. 27.

Cum hac ratione mercurius sublimatus quam purissimus facile praeparari possit: damnanda est consuetudo vulgaris, eum ex fabricis emendi, ubi magna in copia paratur. Neque enim remota est suspicio, saepius heic contaminatum inveniri arsenico albo.

*) Hermbstädt Experimentalpharmacie 2ter Theil p. 292.

§. 28.

Criteria mercurii sublimati arsenico
conspurcati*).

Adest arsenicum si

- I. mercurius sublimatus carbonibus inmissus candentibus odorem spargit allio similem.
- II. non nisi in partibus decem alcohol vini solubilis est, residuumque allium redolet igni adjectum;
- III. solutio mercurii sublimati corrosivi per spiritum salis ammoniaci causticum praecipitatur, et superstante fluido, solutione cupri in alcali volatili commixto, nullum apparet subflavidum in viride vergens praecipitatum. —

§. 29.

E modo praeparationis hujus remedii, maximum inter Hahnemanni solubilem mercurium et sublimatum perspicitur discrimen. — Mercurius enim solubilis ab omni acido liber, sine omni effectu accidentali, ab acido salis dependente, specificum exferere potest stimulum; sublimatus contra mercurius, acidi praedominantis causa, malos minusque tempestivos effectus facile producit; tormina v. g. ventriculi, ardores, colicas, diarrhoeas, ceterave.

*) Hermbstädt l. c.

§. 30.

Cum itaque mercurius sublimatus, teste etiam ALTHOFIO *) strenuo ceteroquin hujus remedii defensore, recensita symptomata producere possit atque monente cl. Girtannero **) pejora adhuc mala, haemoptyses scilicet, phthises, aliqua innumera, usum sublimati corrosivi quandoque sequantur, merito quivis medicus non nisi maxima adhibita cautione eodem uti debet. Abstinentum itaque ab hoc est remedio, ubi alia sufficiunt magis blanda, et si methodum necis - ubique.

§. 31.

Ab altera enim parte fatendum est, passim veluti vnicum remedium, quod votis exacte respondeat, in usum vocari posse.

Veniunt quoque in mentem aliquot casus, quos vidi in nosocomio clinico berolinensi.

Juvenis quidam post malam venereorum symptomatum topicorum sanationem, lue universali correptus, ulceribus venereis faucium se manifestante, in nostrum receptus est nosocomium. Mercurio solubili, primo tempore sumto, nil boni producente, malum inde adeo auctum, ut deglutire non potuerit, offium-

*) Althof über den sublimat p. 109.

**) iter Theil p. 364.

que palati ruina metueretur. Mane et vesperi itaque unum cochlear solutionis mercurii sublimati griv in aquae destillatae ℥viij aegro suppeditabatur, una cum multo avenae decocto. Aliquanto post levatus est morbus, etiamsi non penitus profligatus; ideoque, quum mala exinde symptomata orirentur, hocce remedium rejectum est. Mercurio deinde solubili resumto, aeger sanatus a nobis discessit; idemque postea matrimonio inito infartem mirifice sanum procreavit.

Puella annos 22 nata, maculis venereis per totam corporis superficiem, praesertim vero in fronte, et temporum regione laborans, non multo post, per solutionem sublimati aquosam interne exhibitam, hocce liberata est morbo, verumtamen maculae illae, remedio non diutius adhibito, denuo se manifestabant; dicti itaque remedii iterum sumtis granis duobus, haec suffecere ad repellendum morbum, cujus tamen symptomata nihilominus brevi redibant. Mercurio solubili itaque propinato, sensim quidem, attamen ex integro, restituta est.

§. 32.

Ubi itaque lues quam citissime incrementa capit, ubi ulcera palati, defoedationes cutis pertinaces, aliaque refractaria mala conspiciuntur, inprimisque in subiectis magis frigidis, quorum reliqua corporis inprimisque pulmonum constitutio adversa non est; de

nique ubi in universum symptomata mox lenienda veriunt, subsequente tum, quod iam sibi proposuit medicus, alio remedio antivenereo: utendum sane est, sed caute et ad artis regulas, hocce remedio.

§. 33.

Methodus mercurium sublimatum
propinandi.

Swietenius *) sublimatum in spiritu frumenti solutum, hac ratione adhibuit:

℞ Mercurii sublimati corrosivi in pulverem
tenuissimum tritri grxxiv.
Spiritus frument libriv.

Digestione et iterata agitatione solve mercurium
S. Mane et vesperi unum cochlear fumatur.

Ex hac formula autem ad sententiam Cl. FRITZE *) et GIRTANNER *) damnum non mediocre metuendum est; quum enim a frumenti spiritu non profus solvatur sublimatus, ideoque aliquantum in fundo vasis haud solutum remanere queat; hoc tempore plus, alio minus aegrotto exhibebitur, quam necesse foret; ideoque in casu altero multum noceret, in altero autem nil efficeret.

*) Comment: in Boerh. vol. V. p. 550.

*) Fritze von venerischen Krankheiten p. 189.

*) p. 369.

Hinc melius putandum, in Aqua destillata solvi sublimatum, et ad promovendam solutionem, salis ammoniaci non nihil admisceri, sicut viri Cl. *) modo dicti sequentem formulam proponunt.

℞. Mercurii sublimati
corrosivi griv.
Salis ammoniaci ℥j.
solve in
Aquae destillatae ℥xvj.

S. per diem bis quaterve unum cochlear detur. Ad mitigandam sublimati vim destructivam, ipsum in pillularum forma hocce modo suppeditare aliis placuit:

℞. Mercurii sublimati corrosivi grxv.
solve in
Aquae destillatae ℥vj.
decantat. liquori adde

Micæ panis albi drachm. duas et dimidiam
M. F. massa e qua formentur pillulae No. 120.
S. mane et vesperi duae sumantur. Quaeque earum grani partem octavam sublimati continet.)

Hae pillulae autem ejus sunt naturae, ut mox indurescant, perque intestinorum tractum haud solutae ejiciantur, nec non in eodem interdum remaneant, et vehementes cieant dolores. Sublimatum in uuguenti

*) Fritze p. 190 Girtanner l. c.

forma plantis pedum infricandum Cyrillo commendat,
cujus formula haec est:

℞. Mercurii sublimati corrosivi
Salis ammoniaci ana ʒj
Axungiae porcinae ʒi.

M^o et terantur in mortario vitreo per horas 12 ut
fiat unguentum.

Per aliquot dies plantas pedis ope pediluviorum cali-
dorum sensibiles reddere et emollire, ibique huius
unguenti vesperi duas drachmas illinire jubet.

§. 34.

In omni hac methodo sublimatum exhibendi potus
largus inprimisque gelatinosus in usum vocandus est
et opiata saepius sunt propinanda, Neque minus evi-
tanda sunt omnia in primis viis acida, ne his sublima-
ti vis caustica augeatur. Denique sedulo prospicien-
dum est transpirationi.

§. 35.

Quae corporis constitutio sublimati
usum prohibeat.

In hominibus contra ventriculo debili, vel pul-
monibus laesis praedidis, aut ad haemoptysin pronis
iisque, quorum primae viae acida acrimonia laborant;
quique delicatioris sunt habitus, vel exhausti, vel
nimis irritabiles: ab usu sublimati, veluti remediū

maxime rodentis abstinendum est. Cl. ALTHOF *) hoc propinavit medicamentum homini qui tussi chronica laborabat. Iam duraverat haec tussis duos per annos, atque dolore pungente aliisque malis symptomatibus stipata, omnes medicorum conatus eluserat; sanabatur autem omnino ope huius remedii, fugatis omnibus hisce symptomatibus, simul cum morbo. Longe absum, quin huius casus veritatem in dubium vocare velim sed exceptio regulam non tollit.

SECTIO III.

DE APPLICATIONE MERCURII EXTERNA, IN SPECIE DE UNGUENTO MERCURIALI.

§. 36.

Si aeger propter nimis protractum mercurii usum vel propter idiosyncrasiam, vitia ventriculi, faucium, similiaque interna medicina curari non potest: haec sane methodus superest, neutiquam spernenda.

§. 37.

De unguenti mercurialis praeparatione.

Vulgare istud unguentum mercuriale, quod in officinis invenitur sub nomine unguenti Neapolitani non rite adhibendum esse videtur, partim

*) ALTHOF über den actzenden Sublimat p. 95.

enim jamjam vetuset, axungia rancida esse solet, partim Terebinthina admixta non unicuique subjecto placet, cujus in cute facile excitat pruritus ac pustulas. Admiscetur terebinthina, quia ipsius adminiculo facilius mercurius subigi potest, quod vero, diuturna et sedulo continuata trituratione aequè et melius efficitur. Unguentum itaque sine terebinthina magis placet, immo optimum habendum est, quod non vulgari methodo sed e calce mercuriali paratur, ut magis cognitam habeamus remedium, quod vere efficax est, quantitatem.

§. 38.

Contingit praesertim in corporibus irritabilibus ut usus mercurii internus, quamvis diu continuatus, nihil proficiat; ejusque propinatio continuata quacunquè in forma, stimulum tum producit alienum, quo specificus antivenereus impeditur. Subest subinde idiosyncrasia, omni huius generis remedio interno aduersa. Alii nimia laborant primarum viarum debilitate vel propter faucium vitia deglutitio difficillima est. Haec igitur et passim alibi confugiendum est ad frictiones mercuriales. Adjiciam casum, qui huius est loci. Iuuenis 24 annorum in nosocomio charitatis a lue gallica liberatus, post 6 menses tophis claviculari, extremitatum inferiorum, ossium utriusque antibrachii, et inferioris maxillae, correptus, dolo-

ribus praesertim nocturnis vehementer vexatus, praeterea emaciatus in institutum clinicum receptus est. Primo ipsi solubilis mercurius propinatur, eodem modo ut supra (§. 25.) monui; praeterea radice salap, cortice Peruviano aliisque remediis facile nutrientibus et confortantibus aeger utebatur. Post paucas doses mercurii diarrhoea exoriebatur quae vero mox cessit medicamentis convenientibus. Iterum mercurius datur, haud majori autem cum emolumento, propter diarrhoeam nempe denuo exortam. Ad mercuriale itaque unguentum, e mercurio vivo et axungia porcina paratum confugimus. Diaeta praescribatur bene nutriens; simul linimentum volatile infricari iussimus in partes affectas. Prima unguenti mercurialis uncia levem produxit ptyalismum, vacillatione dentium juncta, qui tamen, frictionibus omissis, fomentis adstringentibus ori applicatis, ac dentifriciae tincturae brevi cessit. Quibusdam diebus interjectis denuo infricatum est, decrescentibus sensim tophis. Dolor manuumque rigor penitus evanuerunt tribus mensibus praeterlapsis; infricatae erant unciae sex unguenti mercurialis; quae aegrum a tophis liberaverant. Ex instituto clinico cum parvo manus tubere vix sensibili decessit, atque ad pristinos labores rediit.

§. 39.

Methodus exhibendi unguentum mercuriale.

Syphiliticus per paucos dies antea balneis utatur calidis, ut mollis sensibilisque cutis evadat. Aliae quae obstant corporis morbosae qualitates tollantur. Tunc mercurialis unguenti infrictio adhibeatur. Loca ad inunctionem maxime idonea sunt brachia, volaeque manus, nec non internum femoris suraeque latus, in quibus quotidie drachma integra ad unciam dimidiam unguenti mercurialis summa industria infricatur. Prius tamen haec loca panno laneo per aliquot minuta fricantur.

§. 40.

Cautelae practicae.

Hae frictiones reiterantur, donec vel evanuerint venerea symptomata vel alienus comparuerit stimulus, quibus in casibus supra dictae cautelae (§. 27.) observandae sunt. Ad cutis laesionem praecavendam modo hic modo alius eligatur locus. atque ob similem causam pili, si qui adsunt, prius deradendi.

§. 41.

Damna atque incommoda unguenti mercurialis.

Nullum mercuriale medicamentum facilius salivationem ciet quam unguentum mercuriale, id quod

non cedere solet in aegri salutem. Quamvis enim
aliis remediis, uti laxantibus, opiatibus ceterisque haec
possint vel mitigari vel tolli: multis tamen hisce re-
mediis carere se posse, quis certe sibi gratulabitur. [Hinc
igitur laudibus, quas multos e recentioribus huic me-
thodo impertire] video, neutiquam assentior. Fiant,
quae possunt, per pauca! — Passim tamen fieri non
posse superius concessi, ubi itaque recte confugies
ad hanc methodum externam. — — —

T H E S E S.

1. In Fluxu coeliaco genuinus chylus non excernitur.
2. In morbis venereis raro tantum mercurii sublimati corrofivi usus desideratur.
3. Opio in morbis venereis quibusdam carere non possumus.
4. Foetus non per liquorem amnion nutriri videtur.
5. Gibbositas non semper est contraindicans emeticorum.
6. Abscessus glandulofi adhibitis fetaceis bene aperiuntur.





10/10

PICA





DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
 SISTENS
 ANIMADVERSIONES
 C I R C A
 MERCURIUM SOLUBILEM
 HAHNEMANNI,

MER

C

I

MED
PU

G

I

